



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Miseriæ hominis ex breuitate vitæ eorum, qui in infantia moriuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Denique nec frater à fratre tutus est. Habemus in profanis historijs Romulum & Remum, Eteoclem & Polynicem: in sacris Cainum & Abelem, Iosephum & fratres eius.

Nihil hoc loco dicam de breuitate vitæ, quæ nos spes verat inchoare longas. Hanc satis declarât illi, qui eam floribus, fœno, fumo, vaporibus comparauerunt. *Quæ est enim vita vestra?* ait D. Iac. 4. 14.

Iacobus, *vapor est ad medicum parens, & deinceps exterminabitur.* Talem vaporem fuisse Marcellum illum Poëta deplorat, quem canit terris râtum fata ostendisse. Tales caduci flores fuere pueri

Israëlitarum, quos in Ægypto omnes ab obstetricibus iussit Pharaon necari. Tale fœnum fuit filius Dauidis, quem languentem nō potuit satis deplorare. Innocentes quoq; infantes ab Herode altero Pharaone crudelissimè demessi fœnum se esse experti sunt.

Quibus merito scribi potuit Epitaphium illud:

*Viuerè vix cepit, iam viuere desit infans,*

*Et nondum vitam nouerat ipse suam.*

*Antè mori quid sit, quam viuere discimus. Eheu,*

*Eheu, quam misera condicione sumus!*

Neque illud abs re eiusmodi puero positum est monumentum.

QV A S LACHRYMAS FINII, MATER INCOEPIT: RISVRA, N I FINISSEM. EHEV MISERA VITA, QV A NEC RISVM HABET, NISI FLETV EXPRESSVM! Itemque

*Alij mori scēs solent,*

*Senex si ego forem, vincerem.*

Atque esto, mors multis in infantia parcat; nec rapiat maiorem in iuuenta, aut virili ætate hominum partem: quàm tamen brevis est illius vita, etiamsi perueniat ad senectutē? Olim

homines septingentos, octingentos, nonaginta annos vixerunt, nunc autem successit ætas vitiosior, decreuerunt mortalium vires, multum imminuti sunt eorum anni. *Epigenes CXXII. annos impleri negauit posse: Berosus excedi CXVII. Durat & ea ratio, quam Petrosiris ac Necepsos tradiderunt (ait Plinius) & tetartemorion appellant, à trium signorum portione, qua posse in Italia tractu CXXVI. annos vita contingere apparet. Negauere illi, quemquam XC. partium exortiuam mensuram (quod anaphoras vocant) transgredi, & has ipsas incidi occursum maleficorum siderum, aut etiam radijs eorum* Plin. lib. 7. cap. 49.

*solis q̄.*